



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Quot sunt?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

quomodo repugnat natura hominis uoluntati
 Dei, sicut Paulus inquit, **I**nfoelix ego homo.
 Rursus autem erigant se fide, & sibi ignosci
 credant, & serio repugnent illis morbis. Hoc
 certamen est uera poenitentia piorum, in qua
 crescit nouitas spiritualis, & concipiuntur no-
 ui & ardentiores motus spirituales, sicut in-
 quit Paulus, **E**xterior noster homo corrumpi-
 tur, sed interior renouatur. Et ad Colos. **I**ndu-
 te nouum hominem, qui renouatur agnitione
 Dei ad imaginem eius, qui condidit eum. Et ad
 Corin: hios, **I**n eandem imaginem transforma-
 mur, à gloria in gloriam.

DE SACRAMENTIS.

Quid est sacramentum?

Propriè est ceremonia in **E**uangelio insti-
 tuta, cui est addida promissio **E**uangelij.

Quot sunt?

Tria recte numerantur, **B**aptismus, **A**bsol-
 lutio, **C**œna Domini. **B**aptismus est im-
 mersio in aquam, quæ fit cum hac admi-
 randa benedictione, **E**go baptiso te in nomine
 patris, & filij, et spiritus sancti. Et ad quid fiat
 baptis-

baptismus, hæc ipsa uerba significant. **E**st enim sententia, **E**go minister mandato diuino hac ceremonia testor, quòd iam ille **D**eus recipiat te in gratiam, qui est pater, filius, & spiritus sanctus, & sic uult agnosci & inuocari, quòd propter filium te recipiat & spiritu sancto te sanctificet, & sit tibi opitulaturus, & inchoaturus in te nouam & æternam uitam. **I**ta in his uerbis comprehensa est promissio & summa **E**uangelij, et ueri cultus descriptio, quæ disceruit nos à gentibus & **I**udeis, qui non inuocant **D**eum per filium mediatorem, neq; agnoscunt spiritum sanctum. **Q**uare hæc uerba semper sint nobis in conspectu, semper personet nobis in auribus hæc uox **D**ei paciscentis nobiscum, quòd uerè uelit nobis esse **D**eus, uerè uelit filij beneficium & spiritum sanctum nobis imperitari, uerè curet & exaudiat nos. **I**deo **P**etrus dicit, **B**aptismum esse pactum bonæ conscientie erga **D**eum, id est, sic sentientis de **D**eo, quòd uerè nos receperit propter filium, uerè nos iam curet & exaudiat.

Quis est effectus baptismi?

PRORSVS extinguit usum baptismi perniciosa & sanatica opinio plurimorum,
 que